

Cometâ constitutus plejades respexerit longit. ferè 25 gr. & latit.  
8 gr. 30 min.

Die 16 Decembris utut integro ferè die densis nubibus ob-  
ductum fuerit cœlum, mihi tamen nocturno tempore horâ præ-  
cisè octavâ tam felici esse contigit, ut remotis ad quadrantis ho-  
rarii spacium densioribus nubibus Cometam quasi per nebulam  
rariorem in eâdem cum prædictis duabus finistri pedis Persei  
stellis lineâ conspexerim, in tantâ ferè distantia à præcedente,  
quantâ hæc à sequente abest, videl. 2 gr. 10 min. Quo posito pro-  
venit Cometæ Longitudo 24 gr. 14 min. ferè & Latitudo 12 gr.  
56 min. Sept.

#### CAPUT X.

### DE LOCO NONI ET decimi diei.

**D**ie 17 Decembris, nubibus prohibentibus Cometa cerni non  
potuit. Sequentie die caput Medusæ accedens infra Algol  
conspiciebatur, ita ut vix diametro lunæ inferior, & binis dia-  
metris orientior esset vertice trianguli, quod describitur arcu-  
bus in Cœlo ductis per bis binas stellas trapezium in capite Me-  
dusæ concursu suo exprimentis. Quo posito per calculum trigo-  
nometricum Cometam deprehendo in 21 gr. 34 min. & 19 gr. 28  
min. latit. B.

#### CAPUT XI.

### DE LOCO UNDECIMI & duodecimi diei.

**H**ic mirum in modum Cometa suos fefellit observatores,  
postquam enim à primo apparationis die hucusq; recto tra-  
mite progressus motu suo arcum circuli magni in Cœlo quàm  
proximè descripsisse deprehenderetur, veriti non sunt mecum  
plerique Uranoscopi Lipsienses, viam in antecessum, vel ductis in  
globo lineis, vel applicatâ chartâ, Cometæ præparare, eoq; quor-  
sum evasurus sit Cometa quad antenus prænunciare: Sed obser-  
vatione 19, Decembris tandem edocti, Cometam à viâ præconsti-  
tutâ